

De cancro mammae sinistrae observato et curato ... / [Michał Ludwik Knobloch].

Contributors

Knobloch, Michał Ludwik, -1768.
Universität Erfurt.

Publication/Creation

Erfordiae [sic] : Prelo Heringiano, [1740]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/eqy2xp9d>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE

CANCRO

MAMMAE SINISTRAE

OBSERVATO ET CVRATO,

DEO TRIVNO PRAESIDE

ET

GRATIOSAE

FACVLTATIS MEDICAE

CONSENSV,

IN PERANTIQA HIERANA,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMSQVE IN ARTE SALVTARI PRIVILEGIIS
ATQVE IMMVNITATIBVS

RITE ET SOLEMNITER ADIPISCENDIS,

DISSERIT

MICHAEL LVDOVICVS KNOBLOCH,

VILNA - POLONO - LITHVANVS.

DIE II. AVGVST. M DCC XL.

IN AVDITORIO MAIORI, COLLEGII MAIORIS
HORIS CONSVETIS.

FRFORDIAE,

PRELO HERINGIANO, ACAD. TYPOGR.



D E

C A N C E R O

MAMMAE SINGULARE
OBSERVATO ET CURATO

DEO TRIVINO PRÆSIDE

158403

GRATIOSAE

TACVLTATIS MEDICAE

IN PRAESIDIUM HIERAN

PRO GRADU DOCTORIS

ADMISSIOE IN ARTE SVAETARI PRINCEPS

ATQVE IMMUNITIBVS

RITE ET SOLVMNITER ACCEPSCENDI

DIGNI

MICHAEL LVDOVICVS

KNOBLOCH

VILNÆ POLONIAE

DIE 14 APRILIS M DCC XLI

IN AULICIS MAIORI COLLEGIIS MAIORIS

HORIS CONSVETIS

FRANCIS

PAULO HERINGIANO, ACAD. TYPOG.





PROOEMIUM.

UT medicamenta morbis internis *Pharmacia*, sic manuum & instrumentorum opem externis *Chirurgia* promittit. Hanc quidem nemo non Medicorum calleat, siquidem etiam pars est Medicinæ, faciens ad sanitatem præsentem conservandam & amissam restituendam. Et qui artem Machaoniam profitetur, *nobilissimam* ejus partem non ignoret necesse est. *Nobilissimam* nomino, quæ cataracta occæcato visum restituit; parturienti succurrit, vitam & matri & foetui conservando; labii leporini sectione manducationem atque loquelam reddit perfectiorem. Quid autem nobilius vita, visu, loquela? Hinc illum, quem etiam

ignominia macula notare Chirurgia ministri non verentur, Doctoremque se indoctiorem vocant, maxime, si operationem non instituire atque dirigere, ne dicam propriis manibus enchireses ostendere sciat, communiter vulgus quoque Doctoris titulo indignum pronunciat, si nimirum saltem remedia tamdiu applicare consuevit, quam diu ex fonte diætetico & pharmaceutico depromi possunt, chirurgicum vero auxilium, ex crassa quadam ignorantia, negligendo, multorum morborum artifex & mortis causa moralis existit. Qui sanguinem sub cranio extravasatum, mediante trepanatione non extrahit, inducit ejusdem putrefactionem, gangrænam, sphacelum, mortem, cum tamen illo remoto vita conservetur, sanitasque restituitur. *Cancrosam excrescentiam* si ferro non separamus a sano corpore, universum corpus inquinatur, tandemque plenaria partium solidarum & fluidarum destructio aureum vitæ filum abrumpit. Non equidem jam lubet multis verborum ambagibus necessitatem atque utilitatem Chirurgia extollere, nedum argumenta proponere, quibus per-

motus

motus fuerim, operationes propriis suscipere manibus, sed tantum inauguralis loco Speciminis exhibere *Cancrum mammarum*, a me observatum & mediante sectione curatum. Supremum Numen devotissimis veneror precibus ac laudibus; his, quod sapientiam atque vires ad operandum necessarias benignissime concesserit; illis, ut conatibus meis addere velit successus felices.

SECTIO I.

§. I.

C*Anceri* vocabulum inter eruditos diverso gaudet significatu: Denotat enim physicis modo *animal exangue*, parum natans, lubenter progrediens, & terræ cavernas inhabitans; modo mathematicis in Astronomia, *signum Zodiacale*, quia Sol ad hujus locum perveniens, dicti animalis modo regredi solet; modo literarum humaniorum amatoribus, *versus retrogradus*, qui a sinistra ad dextram, & a dextra ad sinistram legi & intelligi possunt; modo *rem, calamitatem, damnum atque detrimentum inferentem*, rhetoricis metaphorica indicat locutione; modo *adversam fortunam*; modo *amictum thoracis ferreum, sive æneum*, militibus exprimit.

§. II.

De his autem nobis non esse sermonem, facile quilibet judicabit etiam me silente. Interim in scholis quoque medicis hocce vocabulum notat Chirurgis, deligando occupatis, *capitis fasciam*, octo capitibus instructam; videatur BASS. *von Bandagen*, p. m. 122. Anatomicis quibusdam *os jugale*, sive *Zygomaticum*, hoc nomine venit, quia ex apophysibus ossis temporum & maxillæ superioris constans, chelas, vel forcipes cancrorum imitatur. Practici generaliter *ulcera* quædam *serpentia* sub *Cancris* vocabulo comprehendunt, qualia sunt Scabies, Herpes, Phagedæna, Lepra, Elephantiasis. Referente CELSO olim vox *Cancris* Gangrænam & Sphacelum denotabat. Specialissime denique & in sensu pathologico CANCER est *tumor durus, inæqualis, livescens, venarum turgescentiâ cancri fluviatilis figuram præ se ferens*; & in hoc significato nos denominationem hanc accepturi sumus.

§. III.

Non inepte vero affectus hic vocatur *Cancer*, ob convenientiam nempe, quam præsertim in mammillis foeminarum, cum fluviatili cancro monstrat, siquidem tumor ipse quoad *figuram* externam corpus cancri, venæ vero, fusci & lividi coloris, ejusdem pedes referunt; quemadmodum etiam in *superficie* duritiem & asperitatem uterque exhibet; tandemque ratione *cohesionis & renisus*, sicuti cancer aquatilis, quicquid forcipibus suis comprehendit, ægre dimittit; ita & tumor hic, ubi profundiores egit radices, ægerrime iterum tollitur & abigitur.

§. IV.

§. IV.

Latinis alio vocabulo Cancer idem est, quod *Carcinoma, Carcinodes, Carcinus*; Germanis simpliciter *der Krebs* audit.

§. V.

Est autem *CANCER MAMMARVM proprie tumor durus, mali moris, dependens ab acido quodam corrosivo, lympham coagulante & simili corrosiva qualitate impregnante.*

§. VI.

*Generis loco in definitione ponimus tumorem, quoniam experientia testatur, magnitudinem partis præternaturaliter augeri in Cancro; naturaliter enim tumores pectoris, sive mammæ, oriuntur in sexu sequiori, eademque ratione abdomen in gravidis intumescit. Differentiam autem specificam sistit 1) durities mali moris, qua ab œdemate differt; 2) inequalitas, quæ glandulosam substantiam potissimum affici testatur, dum e contrario pars musculosa, sive carnosæ, inflammatione tumida, æqualem habet superficiem; 3) venarum turgescencia in ambitu, huncce tumorem pariter ab omnibus aliis distinguit, tam ratione subjecti inhæsiōnis, quod ut plurimum esse partem glandulosam, ex complicatione vasorum constantem, deprehendimus; quam ratione causæ materialis, siquidem, si acidum quoddam corrosivum, (quod veteribus olim *atræ bilis* nomine veniebat,) lympham coagulat, sanguini quidem introitus per arterias conceditur, regressus vero per venas impeditur, non solum quia partes activiores a sanguine arterioso fuerunt secretæ, sed & quia sanguis in venis ex spatio angusto in amplius fluit, sicque*
mo-

motus ipsi impressus successive perit, nec non quia ex tenerioribus tunicis contextæ sunt, adeoque facilius distenduntur, & eadem facilitate in alio loco comprimuntur, ut sanguini exitus præcludatur; hinc etiam ab hac venarum distensione pellucidus ille color livescens oritur.

§. VII.

Subjectum Cancris statuo partes peculiaris habitus, sive *glandulas*, tam majores, quam minores, in omnibus fere corporis humani externis partibus occurrentes, ex congerie minutissimarum arteriarum, venarum, nervorum & ductu excretorio constantes, propriaque membrana cinctas; unde etiam affectus hic observari consuevit in labiorum, *) oculorum, **) faucium, uteri, ***) penis, ****) aliisque glandulis, maxime vero in mammis mulierum, cujus tractationem specialioreme hic suscipere placuit. Etiam si enim in viris mammosioribus, notante BIDLOO, quoque occurrere quandoque soleat, adeo tamen raro hoc accidit, ut idcirco morbum hunc inter mulierum affectus potiori jure omnino referre queamus.

*) *Ephemer. N. C. Cent. VIII. obs. 62.*

**) *Ephemer. Nat. Cur. D. II. A. VI. obs. 72.*

***) *Eph. Nat. Cur. Cent. VIII. obs. 65.*

****) *ibid. D. I. A. III. obs. 167. in inguinibus, MONTAGNANA Conf. 199.*

§. VIII.

Mammæ anatomice consideratas deprehendimus duas numero, magnitudine minima in puellis & vetulis, mediocri in virginibus, maxima in gravidis, puerperis & lactantibus, quæ ex singulari glandulosa textu-

ra albicante, medium mammæ occupante, constant. Huic continui sunt lactiferi ductus, per anastomoses combinati, & cum arteriis & venis commercium habentes. Arteriæ internæ sanguinem intra mammas advehunt e subclaviis; externæ ex axillaribus, quæ deorsum cum epigastricis communicantes, in admirandas cincinnorum spiras abeunt, iudice BOERHAVIO exiguos emittunt ductus lactiferos, quorum aliquot uniti majores, horumque iterum aliquot, fistulam constituunt, ex qua demum lac per papillam profluit. Sanguis a secretionem lactis restitans reducitur per venas internas ad subclavias, & per externas ad axillares. Nervi, qui organis lactis secretoriis motum, & papillæ sensum conciliant, a dorsalibus spinalis medullæ mammas ingrediuntur. Hæc omnia tanta pinguedinis copia tegit, ut fere maximam mammarum constituat partem, quæ ultimo cute facile dilatabili atque epidermide tegitur.

§. IX.

Ex dictis hisce, quod mammæ consistunt ex arteriis, venis & nervis, quibus WARTHONVS vasa lymphatica addit, facile concipi potest, quod arteriæ in minores, & hæ in minimas abeant ramificationes, quæ reticularem plexum formantes, lateraliter per penicillulos excretorios lympham in communem folliculum deponunt, qui membrana elastica instructus, se iterum exonerat in alterum absorbens vas lymphaticum; si horum plura in unum coeunt ductum, hicque cum aliis iterum per vasa communia conjungitur, tunc constituunt *ductum* quendam *excretorium*, qui ex sin-

gulis glandulæ lobis, structurâ licet & conceptu diversis, liquidum præparatum atque secretum in dicta galactifera vasa vehit. Quoniam vero id, quod jam descriptum est, vix decimam glandulosæ substantiæ unius mammæ constituere potest partem, hinc non sine ratione dicitur, quod mamma constet ex *glandula conglomerata*.

§. X.

Facilius nunc intelligitur ortus Cancris mammarum, qui natales debet modo causæ *internæ*, modo *externæ*. Ad *externas* refero mammarum contusionem, compressionem cum thorace, seu fibulatorio, nostris temporibus ex assulis balænaceis parato, unde simul mala conformatio partium ad secretionem in mammis destinatarum, & concretio vasorum atque tubulorum inducitur, sicque ob impeditum liberiores transitum & exitum, humorum stases & decubitus inducuntur. Immo, sicuti imprudens, petulans atque fortior contrectatio eundem noxium exerit in virginibus effectum; sic negligens defensio mammarum ab aëre humidiori atque frigidiori, in lactantibus pariter ad hunc morbum disponit, maxime tempore verno, & in locis paludosis, montibus undiquaque circumcinctis.

§. XI.

Res non-naturales ex causarum numero non excludo: *Alimenta* enim & *potulenta*, *quantitate* excedente ingesta, crudiores chylum, sanguinem, & ab hoc secretos humores crudiores efficiunt; sic quoque *qualitate* peccatur, si cibi crassi, acres, acidi, mali atque putredinosi

nosu succi & difficilis coctionis, assumuntur; *modo utendi* vitium committitur, si duri mollibus, acidi dulcibus, fermentantes, acedentes, sine ordine superingeruntur, quorum recensiolem fusiolem legere licet in Diss. de *Cancro*, SCHNEIDERO Præside ventilata, quibus etiam potiones serotinas atque nocturnas merito adnumeramus.

§. XII.

Motus nimius a pastu, saltationes concitatiores, crudos & crassos humores prognerant, ut & e contrario segnities ac otium, torpidum atque debile reddendo corpus, eundem producent effectum. *Somnus & vigilia*, si modum excedant, qualem chylum, qualemque crasi peccantem efficiant sanguinem, omnibus Medicinæ scrutatoribus notissimum est.

§. XIII.

Excreta & retenta multum pariter ad producentum Cancrum contribuunt. Exempli loco jam sit metastasis materiæ calcis arthriticæ ad mammas cancerosas, cujus pluribus mentionem facit PREVSIUS in *Ephemerid. Nat. Cur. Cent. III. Obs. XVII. p. 38.* Sufficeret, si sepositis aliis, de negotio mensium unice verba facerem: HIPPOCRATIS enim effato, Sect. V. Aph. 57. *mensibus copiosioribus prodeuntibus morbi contingunt: & non prodeuntibus, ab utero fiunt morbi*, ob sympathiam nempe uteri atque mammarum, intuitu connexionis, quæ inter vasa utrarumque harum partium observatur, cujusque superius mentionem jam fecimus, imo, quam ipsum hunc Venerandum Senem non penitus ignorasse vel exinde conicere possumus, dum

Seç.V. Aph. 39. scribit: *Si mulier, quæ nec prægnans est, nec peperit, lac habeat, ei menstrua defecerunt.* Regurgitat enim sanguis, qui aliàs singulis mensibus per uterum ejusque vaginam excerni debet, per dictas vias ad mammas, & earum substantiam hac ratione distendit; si autem ob fortunam adversam ingens quoddam animi pathema accedit, veluti ira, timor, tristitia, terror, aut invidia, tunc natura in suis actionibus turbatur, humores resolutionem atque evacuationem omnem respuunt, in mammis stagnant, & sic gravissimum Canceri ponunt fundamentum.

§. XIV.

Proinde etiam ea, quæ Cel. TABOR ex Illustris STAHLII sententia, in *Diss. de Cancro mammarum ejusque nova exstirpandi methodo*, profert, mihi vel maxime arrident: Statuit namque mammas constare ex glandulis conglomeratis, quæ si singulæ, ex decubitu sanguinis ad easdem, distendantur & moverentur, oriretur inflammatio, ex hac scirrhus, qui accedentibus vitiis, in diæta & regimine commissis, ut & animi pathematibus, abiret in Cancrum exulceratum, cujus pessima corrosiva qualitas induceretur a duplici in mammis liquore corrupto; lac nimirum fusciperet acidosalinam, fermentativam, sanguis vero, ex prægressa corruptione & dissolutione, putrilaginosam foetidam, atque sphacelosam indueret naturam. Illustris quoque WEDELIVS, in *Diss. de Cancro mammarum*, eandem hujus affectus monstrat genesin: Initium facit congestio ad mammas, hanc excipit vasorum obstructio, quæ conexum habet tumorem, & facile recipit coagulationem

nem ab acido, unde major oritur consistentia & augmentum, porro scirrhus, & ultimo Cancer.

§. XV.

Differt autem Cancer mammarum ratione *generis*, dum alius est *occultus*, alius *apertus*; sub nomine *occulti* agyrtis ambitiosus sæpe *scirrhus* venit, intelligimus tamen facile, scirrhum adesse, ex tumore, coloris præternaturalis, caloris atque doloris experte, duriori, atque æquali superficie prædito; *apertum* vero vocamus, Cancrum in ulcus degeneratum. Ratione *subjecti* deprehendimus minimam, mediocrem, aut maximam unius mammæ partem cancroso tumore affectam, qui etiam interdum ad glandulas subalares se extendit, easque similiter maximo cum dolore distentas sistit.

§. XVI.

Signa, quæ statum antecedentem in memoriam revocant, summe hic loci sunt necessaria, ducimur enim horum ope ad causas tam externas, quam internas, perpendimus statum partium solidarum & œconomiam fluidarum, eo ipso quoque se patefaciunt pathognomonica. Sunt autem talia in *Cancro occulto* potissimum sequentia: Tumor durus, inæqualis, lividus, cum dolore urente in mamma; color faciei, totiusque interdum corporis superficiei fit cineritius, ex mammis ad jugulum usque se se extendit dolor, nares fiunt siccæ atque obstructæ, & vehemens oritur sitis, venæ circumcirca sanguine turgidæ, varicosæ, & colore obsoleto tinctæ per cutem apparent. In *aperto* vero, sive *exulcerato Cancro*, ulcus sordidum, dolor excessivus, labia

prætumida, inversa, livida, sanies tenuis, aquosa, male colorata, graviter olens, copiose effluens, partium vicinarum exesio deprehenditur, quibus tandem accedunt lipothymia & febris lenta, ægrum paulatim consumens.

§. XVII.

Ratione *prognoseos* fonticum malum Cancer est, & nunquam negligendum, maxime quia in principio difficulter cognoscitur, & non raro per multos annos delitescit. Talem WEDELIUS casum proponit de femina, quæ a compressione amorosa globulum minorem in mamma accepit, qui post 28. annos, prius empiricorum solœcisinis, morbum augmentibus, tractatus, tandem in manifestum transivit Cancrum. Si male tractatur, sensim latius se extendit, & brevi tempore magna sumit incrementa. Hinc HIPPOCRATES suadet *Sect. VI. aph. 38. Quibus occulti cancri fiunt, non curare melius: curati enim citius intereunt, non curati vero longius vitam trahunt.* Præstat itaque summa providentia omnes circumstantias ponderare, & non statim quemcunque tumorem, ut ab imperito Chirurgo aperiatur, suisque causticis tractetur, permittere. Facilius enim curatur incipiens, minor, superficialis; difficilius vero auferatur confirmatus, major, qui profundius cum costis, atque internis thoracis partibus cohæret, vel radicans & rebellis est. Multo periculosior est *exulceratus*, sive *apertus cancer*, utpote qui etiam interdum per notabile temporis spatium gestari potest, si inconvenientibus non tractatur remediis, vel etiam sectione removeri potest, ubi altas jam tum non egit radices. Si vero

ro prostratio virium, debilitas membrorum, agrypnia, animi deliquia, anxietates præcordiorum, dyspnœa aliaque graviora superveniunt symptomata, tædiosam vitam ægri non diu trahunt, sed lenta morte pereunt. Indagatio solers, sectione post mortem in Cancro defunctis detexit, vasa tumoris cancrofi venosa corruptela sua putredinosa distenta, ad partes usque internas corporis, ad vitam continuandam summe necessarias, pertigisse, viscera corrupta, hydropem thoracis & hydrocardiam.

§. XVIII.

Succurritur autem ejusmodi ægroto *ex fonte pharmaceutico* remediis diluentibus, acidum temperantibus, causæ mali oppositis, cacochymiam corrigentibus, humores ita præparatos debite atque legitimo modo evacuantibus. In mentem hac occasione recurrit casus foeminæ, quæ tumorem durum, ardente dolore atque inæquali superficie admodum molestum, in mamma per aliquot septimanas, sed quotidie incrementem, gestaverat, magnitudine pomi minoris, ubi tamen sub usu decocti lignorum diluentis, atque mixturæ ex Tinctura Antimonii & Succini cum Bals. Peruviano compositæ, ad guttas XL. tribus vicibus singulis diebus assumptæ, imposito simul mammæ Emplastro ex partibus anaticis diaphoretici Myns. & de Meliloto, partibusque duabus Empl. de ranis Vigon. cum mercurio, tumor (ausim dicere cancrofus) brevi evanuit, ut nunc sexto anno post memoratum tempus sana vivat.

§. XIX.

§. XIX.

Inter remedia alterantia radix Bugloss. Polypod. Herb. Fumariæ, Scolopendrii, Agrimonix, Capill. veneris, Scorzon. Cichor. Trifol. fibr. Lign. sanct. Saffafr. Lentisc. laudantur, ex quibus cum Rhabarbaro electo foliisque Sennæ facile purgans, acrimoniam humorum corrigens, nocivas atque superfluas partes educens, componi potest. Ex reliquis suadeo succinata, veluti essentiam Succini, aut Succinum præparatum, cum antimonio diaphoretico, Myrrha & Cinnabari in pulverem redactum, & ad Scrup. unum quotidie assumendum; item Tincturam Tartari, antimonii, Liqu. terr. foliat. tartari, Liqu. C. C. succinat. Tincturam martis cum succo cydoniorum paratam. Externa quoque defensiva in Cancro occulto, ex succo Sedi majoris, Solani, Hyoscyam. Nicotian. Geran. robert. parari, & in principio cum lamina plumbea tenui ac flexili applicari possunt. Apertus vero Cancer est mundificandus balsamicis, decocto Symphyti, Agrimonix, Tormentillæ, Ess. Succini, Myrrhæ, oculorum populi. Deinde corruptioni est resistendum per eadem remedia, Essentiam Hyperici, Balsamum Peruvianum, aliaque. Ultimo tandem major affluxus avertendus est, per moderata diaphoretica, diuretica, purgantia, viribusque per balsamica & confortantia succurrendum, quo titulo laudantur Conserva Borræg. Bugloss. Anthos, Spec. diamargar. Confect. alkermes, & similia.

§. XX.

Specificè quoque Dn. ALLIOT *in Act. Hafniens. Ann. 1671. § 72. Observ. LXXII. p. 141.* suum commendat

dat arcanum alcalino-fulphureum; AGRICOLA in *Comment. in Poppium* laudat oleum antimonii & oleum mercurii; CRATO in *Epistol. medicinal.* oculos Cancrorum præparatos, cum vino assumptos, magni facit; FABER in *Myrotechn. Spagyric.* quintam essentiam Arsenici Cancrum absque ullo fere dolore extinguere affirmat; HILDANVS in *Chirurg.* unguentum e ranis viridibus mirifice extollit; HAFENREFFERVS in *Nosodoch. de cutis aff.* oleo stercoreis humani magnam efficaciam attribuit, qualem effectum WEICKHARDVS in *Thesaur. pharmaceut.* etiam aquæ ex stercore humano destillatæ adsignat; HARTMANNVS in *Prax. chymiatr.* Spiritum fuliginis omnibus aliis præfert; SACHSIVS in *Gammarologia* Gammaros commendat. Sal jovis tanquam summum remedium deprædicat BEGVINVS in *Tyrocin. Chym.* & BARTHIVS rubinum arsenici diaphoreticum, in eodem citato libro. FVCHSIVS pulvere quodam contra Cancrum magnam sibi comparavit famam, cujus descriptionem communicat SENNERTVS in *Prax. med. L. IV. p. 502.* De specificis KORTHOLTII remediis conferantur *Annales medico-physici Wratislaviens. Tentam. VI. p. 108. seqq.* Balsamum antimonii Basilii Valentini, probati usus liquorem nominat WEDELIVS, in *Diff. supra allegata.* Folia Clymeni, seu Matrisylvæ contusa & applicata commendantur a WELSCHIO in *Ephemer. Nat. Cur. D. I. A. IV. & V. App. p. 19.* nec non succus Chelidonii, filis carptis applicatus, *ibid. p. 51.*

§. XXI.

Pharmaceutica vero sola raro satisfaciunt, nisi exacta etiam servetur diæta, respondens conditioni æ-

grotantis; si hæc quoque non sufficit, & circumstantiæ simul permittunt, ut ad Chirurgiam confugiamus, tunc operatio vario modo suscipitur. Si Cancer occultus minorem tantum induratum nodum sistit, integra mamma non est extirpanda, sed incisione simplici, linea directâ, vel cruciformi per cutem factâ, excinditur. Universa autem mamma Cancro deturpata, si modo non cum glandulis sub axilla cohæret, nec venæ ad internam usque thoracis cavitatem cancroso liquore sunt distentæ atque infarctæ, aufertur aut acubus grandioribus, fila trahentibus, ad partem imam transfodendo, & cum his in modum ansæ conjunctis corruptam mammam elevando, ut sub iisdem integer Cancer, ope scalpelli grandioris, resecari possit, juxta SCVLTETI præceptum. Loco ansæ ex filis trajectis paratæ, SOLINGIVS utitur furca magna, cui in minori Cancro BIDLOVS instrumentum, gladioli forma præditum, substituit. HELVETIVS invenit volsellam, sive tenaculum, pro mammis vitiatas resecandis, sub ipsa sectione chirurgica arcubus comprehendendis destinatum, cujus crura habent figuram circuli, cum quo diameter globorum in architectura militari dimetitur; idemque Auctor alterum invenit tenaculum recticrurum, (ea forma, qua nunc forfex ad sacharum dividendum gaudet, eine Zucker-Schere,) cujus ope mamma corrupta in parte superiori & inferiori exacte comprehenditur, & sub hoc instrumento resecatur. HARTMANNVS, Chirurgus Amstelodamensis, construi curavit instrumentum ex duobus cruribus semi-circularibus, una extremitate cochlea ita unitis, ut crura circa

hanc

hanc mobilia sint, exactumque circulum constituent; altera extremitate manubriis illa prædita sunt, quibus mamma interpolita comprimi & attolli possit. Unum ex dictis cruribus paratum est ex duabus laminis orichalceis, per quarum interstitium culter, pari forma femicirculari præditus, una extremitate memoratæ cochleæ applicatus, & altera manubrio instructus, transire possit; ita hocce instrumentum (quod Celeberr. TABOR in Dissertatione supra citata descripsit & delineavit,) tenaculi & cultri vices simul subit. Excellentissimus HEISTERVS mammam simpliciter manu sinistra comprehendit, attollit, & dextra resecat.

SECTIO II.

§. I.

Restat nunc, ut quoque proponam casum Cancris a me observati atque curati: Fœmina, progenie atque morum dexteritate præclara, temperamenti cholero-fanguinei, triginta sex annos nata, fecundum atque felix corpore, animo atque fortuna conjugium per aliquot annos experta, optimaque sanitate hætenus gaudens, tertio saltem puerperio de tumore erysipelaceo mammæ sinistræ conquerebatur. Post ablactationem menses legitimo tempore redeunt, sed non multo post eo tempore, quo menstrua excretio instabat, inopinato terrore percutitur, ita, ut in continenti menses fluere cessarent, simulque in dicta mamma, hætenus sana, durus nodus, magnitudine juglandis

dis, oriretur, qui tamen negligebatur, mensium obstructio vero pro signo ingravidationis habebatur. Præterlapsis tribus mensibus oboritur hæmorrhagia uteri, quærit hinc ægra ex Chirurgo provinciali, an venæ sectione opus sit? hic vero eam, partim propter spontaneam hæmorrhagiæ cessationem, partim ob præsumtam ingravidationem, ad dimidium usque gestationis tempus differre suadet, quo præterlapso post V. Snem in brachio institutam, nodus illico magis magisque crescebat, gravius dolere incipiebat, simulque cum appetitu prostrato, digestio, secretiones & excretiones, nutritio, omnesque fere corporis actiones admodum turbatæ adparebant. Sub statu hocce periculoso, urgente sic necessitate, dicti Chirurgi opem quidem implorabat, nullum vero inveniebat auxilium, pro corporis dolore inquieto sopiendo, aut animo tristi, perturbato atque sensibili erigendo. Anno præterito ad finem properante, succrescebat in interno memoratæ mammæ latere, tumor pulposæ substantiæ, coloris lividi atque sanguinei, in quo, ob repentinum in expansione augmentum, vasa capillaria & nudo oculo distincte conspici poterant, ita ut hæmorrhagia intempesta & fontica pertimescenda fuerit. Vinculum amicitiae, me invitatum, adstringebat, ut ægrotam visitarem. Auditis morbi circumstantiis, commotus, aperiebam huncce tumorem, ex quo sincerus atque floridus sanguis, ad aliquot uncias, effluebat, absque symptomatibus suspectis. Altero die vulnus ut plurimum consolidatum reliquerat in linteo carpto gelatinosum liquorem, coloris atque odoris ex-

per-

per tem, cancroſa vero induratio in mamma, & ſymptomata recensita in corpore, ne minimum quidem erant mitigata. Cacochymicum corporis ſtatum corrigebam, evacuando evacuanda, affluxum humorum ad mammam affectam, jam inveteratum, refrænando, balſamicis, diſcutientibus, quicquid poſſibile tentando, ſed omnia incuſſum uſurpata, ad id tandem effatum pronunciandum me cogebant: Abſque operatione chirurgica fundamentalem curationem nunquam eſſe expectandam. Auctor hinc ſuaſor que eram, ut virorum experientiſſimorum conſilium ſuper hunc caſum expeterent, & idcirco ipſe ego deſcriptum caſum ad Virum Illuſtrem & Excellentiſſimum, Dn. JOAN. BERNARDUM de FISCHER, *Primarium Auguſtiſſimæ Ruſſorum Imperatricis Archiatrum, & Cancellariæ totiusque Facultatis Medicæ Petropolitane Præſidem*, mittebam. Maritus, conjugis amore permotus, propriis manibus non ſolum meas, ſed etiam commendatitias atque interceſſionales, a Generoſiſſimo atque Excellentiſſimo Domino Comite de DOUGLAS ſcriptas, prædicto Illuſtri Domino de FISCHER tradebat, qui illico gratioſe reſponſionis loco ſequentia tranſcripſit:

Nachdem den Caſum von Cancro occulto in einer Bruſt durchleſen, ſo finde dasjenige, was Ew. Hoch=Edl. zur Erleichterung verſchiedener Symptomatum, gethan, vor gut, und zur Sache gehörig. Da aber remedia pharmaceutica gar ſelten Cancrum curiren, und inſgemein exſtirpatio per ferrum das einzige Mittel iſt, auch Ew. Hoch=Edl. Patientin nur 36. Jahr hat, dabey von gu-

ten Kräften und Säften, die krebssichtige Verhärtung in basi auf zwey Finger breit sich in die Höhe schieben lässet, so ist raison genug da, die excision zu wagen.

Dies ergo ad operationem pro arbitrio ægrotæ eligebatur, tuncque filum, ope acus, sub Cancro trajiciebam, mediante quo sublato Cancro, cultro mammam abscindebam, incipiendo in inferiori parte, & circumsperta separatione versus superiora progrediendo, & sic tota operatio exiguo spatio aliquot momentorum absoluta erat. Deligationem ordinaria methodo suscipiebam, & ægrotæ de requie in lecto quæta lætabatur, dolores dehinc cessabant, vires de die in diem nova accipiebant incrementa, quæ, ad sex res non-naturales pertinentia, durante morbo tanquam inordinata accusanda habebat, nunc successive ad statum naturalem revertebantur, vulnus consolidabatur, symptomata occurrentia mitigabantur, locus, qui a Cancro in sterno exesus deprehendebatur, cultro ad sanam usque cartilaginem excindendo, brevi etiam consolidationem admittebat. Mamma separata ponderabat sex libras cum quadrante, favosque apum interne referebat. DEO igitur pro clementissime præstito auxilio sit laus honor & gloria in secula seculorum.

T A N T V M.

In Medicus hat Todt und Leben in der Hand.
Darum wer glücklich ist, was gründliches gelernet,
Den schätzt und liebt der Hof, den ehren Stadt und Land.
Du hast Natur und Kunst durchforscht und ausgekernet,
Das giebt der Augenschein; Drum wirst Du auf der
Erden
Mit Ehr und Ruhm ein Arzt, und nicht ein Mörder
werden.

Hiermit gratulirte bey der Promotion

D. HERMAN. PAVL. JVCH,

Sac. Pal. Cæs. Com. Fac. Med. Senior, Pathol. atque
Prax. Prof. Publ. & Ass. Prim. h. t. Decan. Sereniss.
Sax. Duc. Vinariens. Isenac. & Gothan. Consil. Aul.
& Archiat. n. n. Acad. Cæs. Nat. Cur. Coll.

Kan ein Weltweiser Mann bündige Schlüsse machen,
Natur und Krafft der Seel vernünfftig stellen vor,
O! weit mehr hat ein Arzt in denen Kranckheits-Sa-
chen

Behutsamkeit und Kunst und ein aufmercksam Ohr,
Lebhafftes Wesen und Geschicklichkeit zu üben,
Ohn die Gelehrsamkeit, gründliche Wissenschaft:
Curiren ist der Zweck, warum Jhn viele lieben;
Hoch-Edler dieß besizest Du in voller Krafft.

Ben der rühmlich gehaltenen Disputation schriebe dieses

D. IVO JOANNES Stahl

Eminentiss. Elect. Mogunt. Consil. & Archiat. Anatom.
Chirurg. & Botan. Profess. Publ. Fac. Med. Assess. Ordin.
Civit. Erford. Consul & Physicus.

Der Krebs, den Deine Hand geschnitten, und curirt,
Hat Dir Dein Glück gebaut, und Dich zu uns geführt.
In

In diesem äussern sich ganz ungemeyne Spuhren
Von Deinen innerlich- und äusserlichen Curen.
Doch dieses Meister-Stück, und was Du sonst gethan,
Sieht selbst Hygea nun, mit Recht, erkenntlich an,
Und läßt vor Deinen Fleiß, Erfahrung und Be-
mühen
Den schönsten Lorbeer-Cranz um Deine Schläffe
ziehen.
Das Glück begleite Dich, nach meinem Wunsche und
Flehen,
Kein Krebsgang hindere Dein stetes Wohlergehen,
Es müsse, wie der Krebs, beständig weiter gehen,
So bleibt Dein Ruhm in Flor, Dein Nahm' in
Seegen stehen.

Mit diesem wolte dem Herrn Doctorando zu der würdigst-
erlangten Ehre von Herken gratuliren

D. ANDREAS ELIAS Büchner/

Sac. Cæs. Majest. Archiater & Com. Palatin. S. R. I. Nobilis,
Acad. Imper. Natur. Curios Præses, Chym. Prof. Publ.
& Facultat. Medic. Adfessor Ordinar.

Wenn Krancke vor Krebsichten Schäden erschrecken,
Weil sie so unheilbar, als tödtlich auch sind,
Die können aus Seiner Schrift so viel entdecken,
Daß ihnen die Noth und der Kummer verschwind.
Gebraucht Er die Wissenschaft, die Er erhalten,
So wird Er in Glücke und Seegen veralten.

Zum beständigen Andencken setze die-
ses hinzu

D. JOH. HIERON. Kniphof/

Instit. Med. Prof. Publ. Ord. Facult. ejusd, Affess. Extr.
& Acad. Nat. Cur. Colleg.